



**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra
Doctrina, Et Essentia atque vnitate ...**

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

Hæc propositio, Deus est, secundum se non quoad nos est per se nota.
cap. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

nem subiecti, quia affirmatio, & negatio disiunctiua sequuntur ens in quantum hu-
iusmodi, quod est de ratione cuiuslibet intel-
ligibilis, non est ad rem: nō enim est de ra-
tione subiecti, id, quod sequitur ad ratio-
nem prædicati, sed id, quod includitur: at
vero affirmatio, & negatio disiunctiua nō
includitur in ratione entis, sed illam sequi-
tur, ut idemmet Capreolus admittit: atque
ad eō cōcedit aliquam propositionē per se
notam, cuius prædicatum nō includitur in
ratione subiecti: idemque patet, quādo pri-
ma passio, vel saltē eius definitio prædica-
tur de definitione subiecti, est enim propo-
sitiō per se nota, nec tamen passio est de ra-
tione intrinseca subiecti, aut definitionis
ipsius: secunda pars, qua dicitur nō omnem
propositionem, cuius prædicatū est de ra-
tione subiecti, esse per se notā nobis, tradi-
tur à S. Thomā, & Thomistis mox citādis,
Scot. in 1. dist. 2. qu. 2. §. *Quoniam*, & alijs
Doctoribus, quos referam, cap. sequenti
negantibus hanc propositionem, *Deus est*,
esse per se notam nobis: qui tamen excepto
Mayronio censent esse de primo modo
dicendi per se, & manifestē patet ex argu-
mento proposito.

XII.

Posterior assertio est, si loquamur de
per se notis secundum se, omnis, nō tamen
sola propositio, cuius prædicatum est de
ratione subiecti, est per se nota; Posterior
pars traditur ab Aureolo in primo dist. 2.
quæst. 2. art. 5. dum agit contra sententiam
S. Thomæ, Mayron. quæst. 1. art. 1. ad pri-
mum, & q. 2. art. 1. Conclusionē 4. Caiet.
in 1. Poster. cap. 3. & 1. p. quæst. 2. art. 1. §.
Circa hanc partem sunt, & Ferrariens. cap.
citato. §. *possimus*, & Scot. ubi supra, neque
S. Thom. 1. p. q. 2. art. 1. docens ex hoc
propositionem esse per se notam, quia præ-
dicatum est de ratione subiecti, vult hanc
solam esse per se notam, sed id sat esse ad
rationem propositionis per se notæ, secun-
dū se, ut rectē notat Capreol. art. 2. in prin-
cipio solutionum ad argumenta Aureoli
contra Conclusionem, & Caietan. art. illo
primo, & ita Ferrariens. cap. citato probat
in hac ipsa sententia fuisse S. Thomam, hæc
vero pars ex dictis constat: nam, si non so-
læ sunt per se notæ nobis, nec etiam erunt
secundum se: si enim secundum se habent
medium terminum, non possunt esse per
se notæ nobis: Prior vero pars asseritur à
D. Thomā prima parte, quæst. 2. art. 1. &
quæst. 10. de verit. art. 12. Hervæo, quæst.
citata. §. *Et ideo*, Capreol. in 1. dist. 2. quæst.
2. art. 1. Conclusionē 1. Caiet. in 1. Poster.
cap. 3. & 1. parte, q. 2. art. 1. Sylvest. art. ci-
rato. §. 1. & 2. Durand. in 1. dist. 3. q. 3. num.

5. 6. & 11. Hispal. quæst. citata, art. 1. Con-
clusionē 1. & art. 4. ad argumenta contra
eandem Conclusionem Scot. ubi supra,
Henr. Agyd. Argent. & Scot. qui locis in-
dicandis cap. sequente, num. 2. probant
hanc, *Deus est*, esse per se notam secun-
dum se, vel clarē & quidditative Deum
cognoscenti, quia prædicatū est de intrin-
seca ratione Dei: probatur autem, quo-
niam, qui habuerit distinctam claramque
notitiam subiecti, penetrabit eius quiddi-
tatem: atque adeo ex vi cognitionis huius-
modi absque alio medio evidenter agnoscer
prædicatum competere subiecto, & quia
non omnes possumus penetrare distincte
gradus omnes essentielles rerum, & vnica
apprehensione quidditatem clare percipere,
idcirco opus habemus, ut per assumptam
media, quæ sunt prædicata proximiora
subiecto, agnoscamus remotiora, & hoc
modo intelligendus est Aristot. loco cita-
to, qui loquitur de eo, quod in nobis com-
muniter euenit, paucissimi enim sunt (si ta-
men aliqui sunt) qui distincte percipiunt
omnia prædicata essentialia alicuius speciei,
eius autem argumentum absolute valet in
vtraque opinione: nam, siue eiusmodi pro-
positiones, quibus superiora prædicantur
de inferioribus, agnosci debeant ex termi-
nis, siue ex demonstratione, non poterit
esse scientia, si fiat infinita, quæ simul
distincte percipere, vel discurrendo per-
transire non potest humanus intellectus.

Hæc propositio: *Deus est*, secundum
se, non quo ad nos, est per
se nota.

CAPVT III.

Propositio per se nota, ut constat ex ca-
pite proximo, vel est secundum se, vel
comparatē ad aliquem intellectum: hæc
vero, de qua agimus, nempe *Deus est*, com-
parari potest vel cum intellectu beato, vel
cum humano; & iuxta tres has considera-
tiones sunt etiam variæ sententiæ. Lo-
quendo itaque in primis de ipsa secundum
se, non se per se notam censet Gregorius
in 1. dist. 2. q. 1. art. 2. dum agit contra Sco-
tum & Ochamum; fundamentum eius est:
quoniam, ut dixerat, art. 1. propositio per
se nota est ea, quæ, vel alia æquiualens in
significato cuilibet habenti vsum ratio-
nis, potest esse per se nota naturaliter abs-
que indigentia extrinseca alicuius: at
hæc, *Deus est*, non ita se habet: nam
quamuis sit per se nota beatis, ut quæuis
alia

S. Thom.
Scotus.

Aureol.

Mayronius.
Caietan.

Ferrariens.
Scotus.

S. Thom.

Capreol.

Caietan.
Ferrariens.

S. Thom.
Hervæus.
Capreol.
Caietan.
Sylvest.
Durand.

I.

alia intuitu cognita, non tamen naturaliter, sed ex supernaturalis luminis auxilio nobis autem nequaquam est per se nota: atque adeo simpliciter non est nota per se. Præterea evidens est omne prædicatū propositionis per se notæ verificari de definitione dicente quid est subiectū propositionis: de nulla autem definitione significati huius nominis, *Deus*, evidens est verificari ipsum esse: ergo illa propositio, *Deus est*, nō est per se nota. Assumptio cōstat: nam siue definitio Dei sit id, quo maius cogitari nequit, siue ens primum, siue prima causa incausabilis, non est per se notū dari ens, quo maius cogitari nequit, aut ens primum, vel primam aliquā causam, de his enim aliqui dubitarunt, alij vero longo studio, ac labore in ipsorū notitiam peruenerunt. Et confirmatur: quoniam ut propositio sit per se nota, non indiget medio, aut suppositione extrinseca: omnes autē propositiones, quibus enunciatū ipsum esse de propositis definitionibus, indigent tali medio: nam, ut præbeat assensus huic, *ens primum est*, oportet supponere hanc, *aliquid ens est primum*, item ad illam, *causa incausabilis est*, supponitur hæc, *aliqua causa est incausabilis*: & in vniuersum nullum prædicatū est notum de aliquo subiecto complexo, nisi vna pars ipsius sit nota de alia, exempli causa, non erit per se notum, *animal rationale est discursuum*, nisi prius euidenter constet hæc, *aliquid animal est rationale*. Eandem sententiam ex alio fundamento tuerur Mayronius in 1. dist. 2. quæst. 1. art. 2. difficultate 2. docet enim propositionem, *Deus est*, non esse per se notā intellectui habenti speciem abstractiuam distinctē repræsentantem Deum, ex quo patet, licet eodē articulo difficultate prima dixerit beatis esse per se notam, non attendisse rationem terminorum, sed experientiam: nam ratione terminorum hoc ipsum negat, ut patet ex eius argumento. Nulla, inquit, propositio est per se nota, cuius prædicatū non competit subiecto in primo modo dicendi per se: ita vero se habet hæc: *Deus est*, ergo non est per se nota; Assumptionē probat, quoniam nulla ratio primo diuersa, ac simpliciter, includit prædicatū cōmune in primo modo dicendi per se: deitas est ratio implicitè simplex: ergo non includit essentialiter ipsum esse, quod est cōmune Deo, ac creaturis, idem suadet alijs argumentis expendendis, lib. sequenti, tract. 1. cap. 5.

II.

Dico primum. Propositio, *Deus est*, est per se nota secundum se. Hæc sententia est imprimis de mente Doctōrum asserentium eam esse per se notam quoad nos, quos re-

feram num. 7. hi enim censent ex vi cognitionis, & penetrationis terminorū dari in nobis assensum eius euidentem, ex quo sequitur esse per se notā secundum se: traditur etiam à Doctōribus asserentibus nō esse per se notam: quoad nos, ita D. Thom. 1. p. q. 2. art. 1. lib. 1. cōtra Gentes, cap. 11. q. 7. de potentia, ar. 2. ad 11. q. 10. de verit. ar. 12. & in 1. dist. 3. q. 1. art. 2. Petrus de Tarantasia apud Carthusian. in 1. dist. 3. q. 2. Henric. in sum. art. 22. q. 2. Richard. in 1. dist. 3. ar. 1. q. 2. Durand. q. 3. num. 6. Heruæus, q. 2. Scot. dist. 2. q. 2. §. *Ex his ad questionem*, cū interpretibus ibid. Ockham. dist. 3. q. 4. lit. F. Gulielmus Rubionius, dist. 2. q. 1. art. 1. Conclus. 4. Anton. Andr. q. 2. Capreol. q. 2. art. 1. conclusionē 3. Dionys. Cisterciens. q. vnica, art. 2. Hispal. dist. 3. quæst. 2. art. 1. Conclusionē 3. & art. 4. ad argumenta Nicolaus de Nyse, q. proximè citata, Conclusionē 1. Carthusian. lib. 1. sum. fidei Orthodoxæ, art. 3. num. 1. Syluest. in conslato, q. 2. art. 1. Ferrariens. lib. 1. contra Gentes, c. Ferrariens. 11. Sotus, quæst. 2. in lib. 1. Posterior. ad 9. argumentum, Gaspar Casalius, lib. 1. de quadripartita iustitia, cap. 16. Conclusionē 1. Caiet. 1. p. q. 2. art. 1. & recentiores interpretes D. Thomæ ibid. probatur autem, quoniam omnis propositio immediata carens termino à priore est per se nota secundum se: hæc vero, *Deus est*, caret termino à priore: nam primum, quod nostro intelligendi modo Deo competit, est ipsum esse: nec est vlla ratio intermedia inter deitatem, & esse ipsius. Præterea, ut patet ex cap. precedente, omnis propositio in qua prædicatū est de ratione formali intrinseca subiecti, est per se nota secundum se: ut autem ostendā lib. seq. tract. 1. c. 5. ipsum esse pertinet intrinsecè ad rationē formale deitatis: quare hæc propositio, *Deus est*, secundū se est per se nota. Denique si uterq; terminus clarè penetretur, & obiectiua propositio distinctè apprehendatur, absque vlla dubitatione, aut indigētia mediæ extrinseci intellectus præbebit assensum euidentē, & æquatū illi propositioni: ergo est per se nota secundum se. Patet cōsequentia ex dictis cap. superiore, vbi dictum est ad rationem propositionis per se notæ secundū se latē esse, ut sit perfectè cognoscibilis ex suis tantum terminis absque ope mediæ extrinseci. Antecedens vero constat: quoniam, si termini sunt immediati, quales sunt deitas, & ipsum esse, ex clara penetratione ipsorū, sequitur assensus euidentis ab alio independens, qualem exigit propositio per se nota.

Fundamentum Gregorij infirmū est: etenim ad rationem propositionis per se notæ

nihil

S. Thom.

Tarantaf.

Henric.

Richard.

Durand.

Heruæus.

Scotus.

Ockham.

Rubionius.

Anton. Andr.

Capreol.

Cisterciens.

Hispalens.

Nyse.

Carthusian.

Syluest.

Ferrariens.

Sot.

Casal.

Caietan.

Gregorius.

nihil refert vtrum naturaliter, an supernaturaliter habeatur evidens assensus de veritate ipsius, dummodo is gignatur ex solis terminis absque medio extrinseco: si enim notitia terminorum vtrumque habita habet vim germinandi assensum euidentem, & independentem à medio extrinseco, sanè propositio ijs constans est per se nota, quia per se, & non per aliud est apta determinare intellectum ad assensum sui; Ad secundum, admissa maiore propositione, neganda est assumptio. Ad cuius confirmationem respondetur definitiones eas, quæ à Gregorio adducuntur, non esse verè definitiones quid rei, sed solum explanationes quasdam quid nominis imperfectas, quales sunt omnes, quas in hac vita habemus, vel naturaliter habere possumus: & idcirco licet non sit nobis evidens, vtrum sit primus ens, aut prima causa, est tamen secundum se evidens *Deum esse*: quoniam ubicunque dabitur notitia distincta terminorum, naturaliter sequetur assensus evidens. Mayronis etiam fundamentum est debile, potest enim negari vtraque præmissa: Maior in primis: quia, vt patet ex capite proximo, ad rationem propositionis per se notæ nequaquam requiritur, vt prædicatum conveniat subiecto in primo modo dicendi per se. Deinde vero assumptio, quoniam, *esse*, vt iam dixi, est de essentia Dei, & nostro modo intelligendi dicitur de eodē in primo modo dicendi per se. Ad confirmationem respondetur maiorem esse veram, si intelligatur de prædicato vniuoco, non vero analogico: at ipsum esse commune Deo, & creaturis est prædicatum analogicum: cætera argumenta quæ eodem loco Mayronius adducit, solam cum disputabo, vtrum ipsum esse, sit de intrinseca ratione essentiae diuinæ.

IV.

Supposita hac communi sententia Doctorum, sequitur vt videamus, quomodo eadem propositio: *Deus est*, se habeat comparatè ad intellectum nostrum. Et in primis quidem respectu beatorum negant esse per se notam, Gregorius vbi supra. Maior in i. d. 2. q. 1. Corollario 10. & ad idem videtur alludere Mayronius vbi supra difficultate prima: nam solum ob experientiam dicit esse per se notam, & non ex solis terminis: atque adeo quamuis absolute dicat per se notam, negat tamen in sensu, quo nunc loquor: nam ipse ad rationem propositionis per se notæ non exigit, vt sit cognoscibilis ex suis tantum terminis, & vt vacet medio termino à priori, sed solum vt habeat euentiam ex se, & non ab alia propositione: quæ autem intuituè perci-

piuntur ex scriptis, & non aliunde, habent actu euentiam: & ita, cum alit respectu beatorum esse per se notam, non intelligit ad sensum quo loquimur, quia secundum eum sentitidem, quod Gregorius, & quidem Gregorius & Mayron. congruenter loquuntur: nam propositio, quæ non est per se nota secundum se, nequit esse per se nota respectu vllius intellectus: semper enim intellectus supponit cognoscibilitatem obiectiuam propositionis: & ideo, si ea secundum se spectata nō est cognoscibilis ex suis tantum terminis, à nullo intellectu potest adæquatè cognosci ex solis terminis: si vero potest, iam secundum se est cognoscibilis. Itaque tres hi auctores non negant eam propositionem esse beatis euidenter & immediate notam ex notitia intuitiua, sicut sunt ea, quæ intuituè cognoscimus, imò multo perfectius: sed solum asserunt nō habere rationem propositionis cognoscibilis, ex præcisa ratione terminorum, quatenus termini sunt, sed quatenus euidenter, & intuituè cognoscuntur: quod non est satis ad propositionem per se notam, alioquin omnes intuitiua de rebus contingentibus essent per se notæ, cuius oppositum superiore capite dictum est.

Dico secundum. Eadem propositio, *Deus est*, est per se nota beatis propriè loquendo, est de mente S. Thomæ, & aliorum, quos retuli hoc cap. num. 2. quorum multi expressè mentionem faciunt beatorum: alij vero, cum absolute dicant esse per se notam secundum se, id præcipuè verum esse existimabant respectu notitiæ maximè claræ, & distinctæ qualis est beata: præter citatos auctores ita expressè docent Petrus de Alliaco in 1. quæst. 3. art. 2. *Alliaco*, lit. V. Marsilius, q. 5. art. 2. ad secundam *Marsili*, rationem principalem, & Gabriel. dist. 3. *Gabriel*, quæst. 4. art. 2. Conclusionem 2. & art. 3. fundamentum est, quoniam propositio obiectiua per se nota secundum se, seu quæ est immediata carens termino à priori, si distinctè penetratur, est apta gignere euidentis iudicium de veritate obiecti absque vlllo medio externo: & consequenter est per se nota respectu intellectus habentis distinctam penetrationem terminorum, propositio, de qua loquimur, est immediata, & per se nota secundum se, vt patet ex paulò ante dictis: intellectus beatus habet distinctam penetrationem terminorum eiusdem: ergo respectu eius est per se nota. Non est autem immorandum modo in explicandis dubijs, quæ per accidens se habent ad hanc materiam: nimirum vtrum in patria sit iudicium de ea propositione distinctum

Gregor.
Maior.
Mayron.

distinctum ab apprehensione: & utrum ipsa apprehensio terminorum sit eadem, aut diuersa, quæ omnia explicanda sunt, lib. 3. tractat. de natura visionis beata: nunc verò sat est, si eadem visio beata æquipolleat distinctis apprehensionibus terminorum: Etenim ad iudicandum utrum propositio obiectiua sit per se nota ex suis tantum terminis, sat est, ut non requirat terminum externum, & ut ex vi notitiæ apprehensiuæ obiecti, feratur de ea iudicium, siue ea apprehensio sit re ipsa, siue virtute multiplex: item sat est, ut iudicium quamuis re ipsa coincidat cum apprehensione, virtute tamen in ipsa quasi fundetur, tanquam in ratione motiua sui, quod non est absurdum: nam, ut eodem lib. 3. ostendam in tractatu de obiecto visionis, eadem visio beata terminatur ad essentiam diuinam, & ad res in ipsa visas: & tamen, ut terminatur ad essentiam, est ratio, cur terminetur ad creaturas. Deinde verò non est absurdum, imò à Gregorio ipso supponitur posse ex visione beata elici iudicium euidentis huius propositionis, *Deus est*, quod elicitur ex vi notitiæ terminorum, & non aliunde.

VI. Motiuum oppositæ sententiæ non habet vim: nam quæ, ut propositio sit cognoscibilis ex suis tantum terminis, duo requiruntur: nimirum connexio immediata & necessaria, itemque penetratio sufficiens ipsorum: quæ omnia sunt in hac propositione, *Deus est* respectu intellectus beati, non autem in alijs propositionibus, quarum sit mentio in argumento. In primis enim in ea propositione ex parte obiecti est connexio immediata ac necessaria, ut patet: deinde verò sufficiens penetratio, etenim visio beata ita est intuitiua, ut sit etiam suo modo quidditatiua, suo modo penetrans essentiam diuinam, ac distinguens in ipsa prædicata essentialia: ex quorum clara perceptione, & non ex sola ratione intuitionis habet vim germinandi assensum euidentem illius propositionis *Deus est*: id verò prouenit ex visionis excellentia, quæ participat perfectionem notitiæ intuitiue, & suo modo diffinitiuæ absque imperfectione annexa utriusque: nam diffinitiuam inter nos est solum abstractiuam, intuitiua verò non est diffinitiuam visio beata, quia visio non est abstractiuam, quia est perceptio Dei sicuti est, habet aliquam rationem diffinitiuam, id verò habet quatenus est participatio visionis ipsius diuinæ, quia Deus habet perfectam cognitionem sui diffinitiuam simul & intuitiuam. Ex quo patet, quamuis visio beata ex eo præcisè, quod sit intuitiua apprehendens coniunctionem

ipsam prædicati cum subiecto, non reddat propositionem, *Deus est*, propriè per se notam & cognoscibilem tantum ex terminis, reddere tamè ex eo, quod habet rationem aliquam quidditatiuæ, & clarè attingit ac penetrat terminos, ita ut ex ea penetratione sequatur assensus verè ac propriè immediatus, & si fieri possit, ut absque intuitione penetratio ea remaneat, adhuc eandem vim retinebit ad modum, quo philosophatur Scotus de clara Dei notitia abstractiuam. Nec mirum est in notitia tam excellenti inesse hanc vim, cum intellectio, qua Angelus naturam suam intuitiue agnoscit, eam habeat, simul enim est verus intuitus, & cognitio diffinitiuam sui. At notitiæ reliquæ solum experimentaliter euidentes ex intuitu obiecti sine penetratione terminorum, quales sunt eæ, quæ in argumento adductæ sunt, carent ea perfectione, quæ consistit in penetratione terminorum, & ita ex hoc defectu non sunt per se notæ. Præterea ipsi termini obiectiui carènt connexionione immediata ac necessaria, quæ est fundamentum cognoscibilitatis immediatæ: & ideo quamuis Deus alicui infunderet conceptus simplices maximè claros, ac distinctos Socratis, ac risus, ex ijs non eliceret euidentem, imò nec certum iudicium, quod Socrates rideat: quod similiter dicendum de alijs propositionibus contingentibus, quarum nulla ex præcisè penetratione terminorum absq; intuitionem innotescit.

Si verò eadem propositio, *Deus est*, comparatur cum intellectu viatorum, & conaturali modo intelligendi nostro, per se notam asseuerant Albertus in summa, tractat. 3. quæst. 57. in secunda parte quartionis. Bonauent. in 1. dist. 8. art. 1. quæst. 2. *Ægid. d. 3.* prima parte primæ partis principalis, quæst. 2. Toletan. dist. 2. quæst. v. nica, artic. 4. ad argumenta contra primam conclusionem. Argentin. dist. 3. quæst. 1. art. 3. Abulens. quæst. 2. in cap. 5. Exod. Lyranus in id Exod. 5. *Nescio Dominum*, Carthusianus in 1. dist. 3. quæst. 2. in fine, & Michael de Palatio quæst. 5. prologi, eiusdem sententiæ videntur esse Altissiodorens. lib. 1. sum. cap. 1. & Alens. prima parte quæst. 3. m. 2. & 3. quatenus ex doctrina Anselmi docent non posse concipi Deum non esse, si quis cogitet rem, quæ significatur nomine *Deus*, & non vocem tantum, quam sententiam expressè docuit Anselm. in prolog. cap. 2. & in lib. contra insipientem: Faues. Patres asserentes agnitionem Dei inditam hominibus à natura: sola autè primorum principiorum cognitio dicitur à natura in-

VII.

Alberti.

Bonauentura.

Ægid.

Toletan.

Argentin.

Abulens.

Lyran.

Carthusian.

Palatius

Altissiod.

Alens.

Anselm.

Eusebius. Nazianz. Hieronym.	data. Ita verò docent Eusebius lib. 2. de præparat. cap. 9. Nazianz. orat. 34. quæ est 2. de Theologia, numer. 32. Hieronymus in id Iob. cap. 36. <i>Omnes homines vident eum, & in id ad Titum primo, Sunt enim multi, & non subditi</i> , Nyssenius in lib. de beatitudinibus, super illâ, <i>Beati misericordes, &c.</i> Theophyl. in cap. 1. Epistolæ ad Romanos, Philippus presbyter in id Iob. 36. <i>Omnes homines vident eum</i> , Elias Cretensis in orat. 24. Nazianzeni citandi, Damasc. lib. 1. de fid. cap. 1. & 3. & Arnobius lib. 1. aduersus Gentes non multum antè medium his verbis: <i>Quisquam nè est hominum, qui non cum istius Principis notione diem primæ natiuitatis intrauerit? cui non sit ingentum, non affixum, imò ipsipenè in genitalibus matris non impressum, non insitum esse Regem, ac Dominum cunctorum quæcunque sunt moderatorem?</i> Similiter fauent Patres asserentes homines naturaliter cognoscere Deum, vel habere cognitionem Dei: ita verò loquuntur Nazianz. orat. 24. quæ est in aduètu Aegyptiorum post medium. Beda in id Psal. 58. <i>Et comprehendantur in superbia sua</i> . Tandem eandem sententiam non obicure videtur tradere Patres, qui docent nò posse ignorari ab hominibus quod sit Deus: omnia verò quæ per se nota non sunt, ignorari possunt, Tertullian. Apologetico aduersus Gent. cap. 17. <i>Hæc est, inquit, summa delicti nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt</i> . Idem ait lib. de spectaculis cap. 2. ex Tertulliano citata verba desumpsit Cyprianus de Idololorum vanitate, idem docet Paulus Orosius lib. 6. histor. cap. 1. Fundamentum est primum, quoniam propositio per se nota est, quæ non habet medium terminum, quo à priore demonstretur, & ideo est nota ex suis tantum terminis, & non ex alio principio. Hæc autem propositio, <i>Deus est</i> , non habet medium terminum, quo à priore demonstretur: ergo est per se nota. Maior propositio sumitur ex Aristotele 1. Poster. cap. 2. ubi prima principia appellat immediata, hoc est carècia medio termino à priore, & ait fieri nò posse, ut esse demonstretur. Assumptio ostenditur, quoniam huius propositionis nò potest dari medium desumptum à causa extrinseca: nam ut infra constabit, <i>Deus est</i> , à seipso, independens omnino ab omni alia re. Non potest etiam sumi medium à causa materiali intrinseca: nam hoc etiam non cadit in Deum, non à formali: nam, ut etiam constabit inferius, deitate non est vlla ratio formalis prior ipso esse diuino, quæ nostro modo intelligendi sit ratio, cur Deus sit. Secundo, Enunciatio, in qua prædicatum est de ratio-	ne subiecti est per se nota: esse verò est de ratione formali intrinseca Dei: quare hæc propositio, <i>Deus est</i> , erit per se nota. Tertio id, cuius oppositum, & cogitari nequit, & inuoluit repugnantiam cum significatione ipsa terminorum, est per se notum: at Deum non esse, cogitari nequit ab homine intelligente notionem ipsam terminorum, ut ait Diuus Anselmus in prologo cap. 3. & 4. ideoque cap. 4. ait insipientem cum dixit, <i>Non est Deus</i> , non cogitasse rem ipsam nomine signatam, sed vocis tantummodò conceptum habuisse: & inuoluit contradictionem cum terminis: nam, cum existentia sit de formali & intrinseca ratione Dei, idem profus erit asserere, <i>Deus non est</i> , ac dicere, <i>Deus non est Deus</i> . Et confirmatur, quoniam notio huius nominis, <i>Deus</i> , hominibus communiter nota, ut superius dixi, est id, quo maius cogitari nequit: ex vi autem huius significationis siue notionis, euidenter constat Deum esse: nam implicat contradictionem, ut id, quo maius cogitari nequit, sit nò ens, aut ens in potentia ad existendum: omne quippe ens est maius atque perfectius non ente, & omne ens actu perfectius ente in potentia. Denique hæc propositio, <i>Deus est colendus</i> , est per se nota: ergo & hæc, <i>Deus est</i> . Patet consequentia, quoniam nò potest esse euidens prædicatum conuenire subiecto, de cuius esse dubitatur.
Nazianz. Beda.		
Tertullian. Cyprian. Orosius.		Dico tertium. Hæc propositio, <i>Deus est</i> , non est per se nota nobis. Est communior sententia Doctorum, ita Diuus Thom. & Tarantaf. cit. num. 2. Henr. in sum. art. 22. quæst. 1. 2. & 4. Richard. in 1. dist. 3. art. 1. q. 2. Durand. q. 3. à numero 7. Scotus dist. 2. q. 2. §. <i>Ex his ad questionem</i> , cum interpretibus ibidem, Hervæus quæst. etiam 2. Aureol. q. 2. art. 6. propositione 2. & 3. quamuis differat in modo loquendi dicēs in prima propositione esse per se notam, quia cognoscitur imperceptibili syllogismo. Ochamus d. 3. q. 4. lit. F. Gabriel. q. 4. art. 2. conclus. 1. Mayron. d. 2. q. 1. art. 2. difficul. 4. Bassol. d. 3. q. 2. art. 2. Gregor. q. vnica, art. 2. Aquilan. d. 2. q. 1. art. 2. Capreol. q. 2. art. 1. conclus. 3. Antonius Andreas ubi supra. Rubio. Masart. citato, conclus. 3. Hispalens. ubi supra. Maior quæst. citata, conclus. 1. Marilius in 1. q. 5. art. 2. ad secundam rationem principalem, Alliaccensis in 1. q. 3. art. 2. lit. V. Syluester, Caietanus, Ferrariens. & Casalius, ubi supra, Sotus q. 2. in 1. poster. ad Nonum argumentum: eandem sententiam docuit Dionys. Carthus. loco citato summæ fidei, in qua, ut plurimum doctrinam D. Thomæ amplectitur. Est etiam de
Aristoteles.		VIII. S. Thom. Tarantaf. Henricus. Richard. Durand. Scotus. Hervæus. Aureol. Ocham. Gabriel. Mayron. Bassol. Gregor. Aquilan. Capreol. Anto. Aut. Rubionus. Hispalens. Maior. Marfil. Alliaccens. Syluester. Caietanus. Ferrariens. Casalius. Sotus. Carthus.

mente

mente ferè omnium Patrù, quos referam cap. 5. num. 4. ij enim docentes naturaliter cognosci ab hominibus esse Deum, cognitionem hanc à cognitione creaturarum per discursum colligi assueverant: ad quem non recurrerent, si existimarent esse per se notum, *Deum esse*. Varia ad eius confirmationem fundamèta proferuntur, sed pleraq; facile ab opposita sententiæ assertoribus dissoluntur. Id verò suadet Bannes l. p. q. 2. ar. 1. conclus. 2. ex verbis Dei ad Moysem. Exod. 6. *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac & Iacob in Deo omnipotente*, hoc est, qui reuelavi illis attributa fortitudinis & potètiæ meæ, dando illis victorias, & nomen meum *Adonai* non indicavi eis, ubi in Hebræo habetur nomen Iehouah, significans ipsum esse: queis verbis Deus præfert Moysen antiquis Patribus, quoniam illi, etsi habuerint notitiam quid nominis, & cognitionem confusam ex effectibus omnipotentiae, Deum tamen non manifestant illis, sicut Moy si, nomen sibi proprium. Ex quo sic arguit. Ut propositio sit per se nota nobis, requiritur ut ex cognitione subiecti statim sciamus convenire illi prædicatum, & modum quo convenit. Patres autem ex cognitione Dei non sciebant quomodo illi conveniret esse, ut constat ex citato loco Exod. ergò neque nobis erit per se notum Deum esse. Non est autem vis villa in hoc argumento: tum quia dicent aduersarij, ex eo, quod propositio non sit euidenter nota vni vel alteri, minimè sequi non esse per se notam alijs: quoniam pleraq; sunt per se notæ sapientibus, non verò omnibus, ut ipsemet Diuus Thomas admittit, q. 10. de verit. art. 12. & sapientibus, deinde respondetur, ut propositio sit per se nota, non opus esse, ut ex sola notitia simplici subiecti nascatur assensus euidenter, sed ex penetratione vtriusque extremi: imò fieri non posse, ut absq; vtriusque apprehensione præstetur euidenter assensus propositioni. Respondetur tertio ad propositionem per se notam non requiri, ut non cognoscatur quomodo prædicatum conveniat subiecto, si terminus, quomodo, determinet modum conveniendi intrinsecè vel essentialiter: sed sat esse, ut cognoscatur verè ac necessariò convenire. In prima principia mathematica per se nota sunt, nec tamen Mathematicus curat, aut aduertit vtrum prædicatum conveniat subiecto essentialiter & intrinsecè, necne? sed solum fertur in propositionem tanquam in obiectum verum ac necessarium. Ita verò fieri potuit, ut propositio, *Deus est*, fuisset per se nota Patribus euidenter videntibus connexionem Dei cum existentia, & ipsi ni-

hilominus ignorarent, vtrum ipsum quod est, esset nomen Dei.

Alij probant. Quoniam licet Deus in se sit ens absolutum ab omni respectu ad creaturas, tamen à nobis in via non nisi sub habitudine ad illas cognoscitur: & ita, quādo illum cōcipimus ac nominamus, simul cōcipimus creaturas, quarum principiū, causam, aut Dominum ipsum intelligimus: & ideo quamvis facile & absque labore assentiamur huic propositioni, *Deus est*, non proinde est per se nota: ex ipsis namq; creaturis, per ordinem, ad quas Deus à nobis cognoscitur, subita quadam ratiocinatione propositioni illi assensum præbemus. Quapropter sicut impossibile est pro hoc statu cognosci Deum à nobis aliter, quàm relatè ad creaturas, ita etiam fieri nequit, ut per se, & non per alia nobis innotescat. Sed neque hæc ratio idonea est: nam vel nititur in hoc, quod Deum esse non nisi discursū ex creaturis præcognitis agnoscitur, vel in eo, quod non cognoscatur à nobis conceptu absoluto, sed relato ad creaturas: si priore modo procedat, petit principium: nec reddit causam, cur ad assensum eius propositionis opus sit discursu, de hoc enim est controuersia: præterea discursus à posteriore, qualis sumitur ex creaturis ad Deum, non tollit rationem propositionis per se notæ: fieri enim potest, ut postquam principium aliquod à posteriore scimus, introspectis eius terminis euidenter, ex ipsorum apprehensione cōnexionem agnoscamus, & assentiamur illi ex solis terminis; si verò ratio posteriore modo intelligatur, non habet vim: nam necessitas cognitionis alicuius termini in obliquo, quia terminat habitudinem alterius, non reddit cognitionem discursuam: nec assensus ex tali notitia simplici genitus, propterea desinet pertinere ad assensum primorū principiorum, ut constat ex hoc principio, *totum est maius sua parte*, totum enim non est absolutum quid, sed relatum ad partes, nec proinde cognitio partis in obliquo requisita ad assensum est in causa, ut is sit discursiuus. Itē illud principium, *si ab equalibus equalia demas, quæ remanent sunt equalia*, constat terminis relatis, & est per se notum, quoniam ex penetratione terminorum euidenter apparet cōnexio extremorum, & veritas propositionis: ergò, si ex apprehensione, quam de lege habemus, terminorum huius propositionis, *Deus est*, euidenter innotesceret illius veritas absque alio medio termino, non impediretur ratio propositionis per se notæ, ex eo quod Deus cōciperetur sub habitudine ad creaturas, & confirmatur, quoniam hæc

IX.

propositio, *Deus est colendus*, admittitur cõmuniter per se nota: & tamen constat eodem termino, *Deus*.

X.

Præcipuum igitur fundamentum, quo utitur D. Thom. i. p. & q. de veritate citata & alij, est, quoniã viatores non habent conceptum quidditativum Dei, sed descriptivum. Nam cum de ratione propositionis per se notæ sit talis immediatio & coniunctio extremorum, ut nil inter illa medium cadat, quod sit ratio connexionis obiectivæ, & assensus ad ipsam terminati, ita quoque de ratione propositionis per se notæ alicui est, ut assensus procedat ex apprehensione terminorum immediatorum, ita ut intellectus cognoscat utrumq; in se, & non in alio: nam si cognoscat alterum saltem non in se secundum propriam rationem ipsius: sed secundum aliam illi coniunctam, iam non cognoscitur immediata & intrinseca ratio conjunctionis: neq; ex tali apprehensione potest intellectus formare iudicium evidens primi principij. Exempli causa, natura hominis est immediata ratio potentie discursivæ, posito quod hæc sit prima passio: & ita ut intellectus evidenter iudicet de connexionione eius passionis cum natura humana, requiritur apprehensio humanitatis secundum propriam rationem diffinitivam, nam si non cognoscatur homo, qua rationalis, sed quabipes, aut risibilis est, ex eiusmodi apprehensione non sequitur assensus evidens propositionis per se notæ. Eodem modo, quoniam in via nõ attingimus Deum secundum propriam & quidditativam rationem ipsius, sed per conceptus quosdam communes coadunatos ad illum utrumq; describendum, nõ attingimus vlla simplici apprehensione ipsam propriam atque immediatam rationem connexionis, siue identitatis obiectivæ Dei cum suo esse: sed illam obscure designamus per rationes alias mediatas, & quæ nostro modo intelligendi supponunt Deum esse: qualis est ratio causæ, entis infiniti, boni, & similibus; nam his omnibus prior est ratio ipsius esse.

XI.

Contra hoc fundamentum obijciunt recentiores non requiri ad propositionem per notam, ut habeatur proprius, & quidditativus conceptus Dei: quandoquidem hoc principium, *quodlibet est, vel non est*, sub quo etiam Deus continetur, est per se notum, atque adeo erit etiam per se notum, *Deus est, vel non est*, quamvis Dei proprium conceptum non habemus. Similiter est per se notum incorporeum non cõmensurari loco corporeo: & tamen non habemus proprium & quidditativum conceptum substantiæ incorporeæ. Verum aliud est ad omnem pro-

positionem per se notam, requiri, ut habeatur proprius conceptus subiecti: aliud verò ad hæc, vel illam determinatè sumptam, in qua prædicatur aliquid immediate cõiunctum cum subiecto illi proprium, & immediatum: Et primum quidem non est verum, ut recte concludit argumentum posterius verò est verissimum, & ratio est iam indicata: quia quamdiu latet propria ratio subiecti, latet causa, siue ratio connexionis eius cum prædicato immediato, atque adeo ex vi alterius conceptus non proprii, haudquaquam potest intellectus assentiri ex terminis, quando verò ratio connexionis non est per se primo propria naturæ subiecti, sed ratio aliqua communis, tunc distinguendum est: nam vel inferius potest cõcipi absq; eo, quod simul clarè agnoscat ratio illa communis, quæ est immediata prædicato, vel semper hæc involuitur clarè in eius conceptu: si primo modo se habeat, non oportet, ut prædicatum, quod cum superiore subiecto efficit propositionem per se notam, efficiat etiam cum subiecto inferiore. Exempli causa hæc est per se nota, *Substantia corporea est quantæ, vel mobilis*, posito quod altera harum sit prima passio: hæc verò non est per se nota, *Animal rationale est quantum, vel mobile*, quoniam hæc passionis non immediate connectuntur homini ratione naturæ humanæ, sed ratione gradus corporeitatis, qui non concipitur distinctè conceptu hominis non resolutio in omnes suas differentias. Ex quo patet formaliter loquendo, non valere illam consequentiã, hæc est per se nota, *quodlibet est, vel non est*: ergo cum Deus contineatur sub subiecto illius, hæc etiam erit per se nota, *Deus est, vel non est*, non enim ex eo, quod aliquid cõtineatur sub subiecto propositionis per se notæ, potest cum illius prædicato cõstitui etiam propositionem per se notam. Si verò subiectum magis univèrsale sit eius conditionis, ut clarè innotescat in cõceptu cuiusvis minus latè patentis, tunc fieri poterit, ut etiam ex subiecto minus latè patente, & eodem prædicato coalescat propositio per se notæ: ita verò res habet in cõmuni illo principio, *quodlibet est, vel nõ est*: nam terminus, *quodlibet*, est maxime transcendens, & extenditur ad entia, & non entia, & in cuiusvis conceptu elucet, omnis enim conceptus est alicuius: & ideo cum dicitur, *Deus est, vel non est*, fit propositio per se notæ, etiam si Deus non sub proprio & quidditativo conceptu apprehendatur, quoniam prædicatum nõ coniungit immediate Deo solum ratione propriæ naturæ, sed ratione illa communi, *cuiuslibet*, quæ innotescit

rescit etiam per conceptum Dei non proprium. Ad aliud exemplum respondeo, incorporeum vel sumi materialiter pro substantia incorporea, vel formaliter pro negatione corporeitatis, connotatiue autem pro substantia, cui est necessario connexa: si pro substantia sumatur illa propositio, *incorporea non commensuratur loco corporeo*, non est per se nota, quoniam substantia spiritalis, & repugnantia commensurationis ad locum non immediate coniunguntur: etenim Authore Philosopho, quoties affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis: at causa, cur res naturalis commensuratur loco, est corporeitas, siue quantitas: quare harum negatio erit immediata ratio, cur substantie immateriales non commensurentur loco corporeo: & ideo cum inter negationem commensurationis, & substantiam immaterialem interficiat negatio incorporeitatis & quantitatis, substantia immaterialis, & repugnantia commensurationis ad locum non immediate connectuntur: & consequenter ex terminis hac duo significantibus non resultat propositio per se nota, & ita parum refert ad institutum, utrum habeamus proprium conceptum quidditativum substantie immaterialis necne. Si vero sumatur incorporeum formaliter pro negatione corporeitatis, siue quantitas, connotatiue vero pro substantia, erit propositio per se nota, etiam nobis, ut recte notat Henr. ubi supra, ratio est, quoniam incorporei sic accepti habemus proprium conceptum, ad modum, quo de negationibus haberi potest: nam negationes cognoscimus per affirmationes: atque adeo cum habeamus proprium conceptum corporeitatis & quantitatis, etiam habebimus suo modo incorporei, quatenus illarum negationem significat: ad rationem autem propositionis per se notam non requiritur proprius conceptus connotati, sed solum formalis significati: Et ita non adducitur instantia: nam hac propositio, *res incorporea non commensuratur loco*, quando est per se nota, supponit proprium conceptum subiecti, quod immediate coniungitur predicato.

XII. Testimonia Patrum pro contraria sententia inducta ad tria capita reuocari possunt: nam quidam aiunt cognitionem Dei inditam hominibus à natura: alij dicunt homines naturaliter agnoscere Deum: alij denique non posse Deum ab hominibus ignorari. Quæ testimonia probant quidem notitiam Dei naturaliter ab homine acquiri posse, non tamen ita euidentem esse, ut ex terminis appareat. Nam quod attinet ad pri-

mum loquendi modum, indita quoque à natura dicuntur ea, quorum proxima principia ac semina in nobis sunt: & quoniam homo habet lumen rationis, & sensuum organa, quorum usu ex aspectu ac notitia creaturarum venire potest in agnitionem Dei, idcirco hæc dicitur insita à natura, scilicet in semine & principio intelligendi. Quæ interpretatio colligitur ex verbis D. Chrysostomi. in cap. i. Epistolæ ad Rom. hom. 3. nam cum dixisset Deum ab initio cognitionem sui hominibus indidisse, inquirens modum sic ait: *Vnde nam manifesta erit? vocem è supernis emisit illis Deus? Nequaquam: sed quod illos voce validius illicere poterat, id fecit mundi creatione in medium proposita, ut posset sapiens, rudis, scythæ, barbarus ex ipso aspectu eorum, quæ oculis subiecta sunt, pulchritudinem edocere ad Deum conscendere.* In hoc sensu testimonium D. Damasceni interpretantur S. Thom. q. 10. de verit. art. 12. ad 1. Aureol. art. 6. citat. ad 1. argum. ex tertio obiectis, & Scotus §. *Ad argumenta*. Secundus etiam loquendi modus non conuincit: nam ea naturaliter facere dicimur, quæ ex principiis naturalibus etiam per discursum elicimus: qua ratione Apostolus ad Rom. 2. asseruit gentes naturaliter facere ea, quæ legis sunt: nempe quia ut exponit D. Thom. lect. 3. etsi Deus ijs legem naturalem externo signo non promulgauerit, nihilominus ipsæ per lumen rationis naturalis agnoscebant prima principia practica legis naturalis, & conclusiones clariores ex ipsis deductas: non enim omnia, quæ decalogo continentur, sunt prima principia iuris naturalis, sed non nullæ sunt conclusiones, quæ naturali lumine facili discursu ex illis deducuntur: quæ proinde dixit Apostolus gentes facere naturaliter, id est, absque supernaturali promulgatione exteriori, quia per lumen naturale ex terminis, vel per discursum agnoscebant. Denique, ut verè aliquid dicatur non posse ab hominibus ignorari, quod tertio loco ex patribus obijcitur, non opus est, ut sit per se notum, sed fat est, ut ex per se notis sensu vel intellectu facile, & absque doctore colligatur: quomodo ex creaturarum notitia per sensus habita voluit Patres Dei notitiam à nobis colligi.

Primum argumentum sententiae affirmantis solum concludit hanc propositionem, *Deus est*, esse per se notam secundum se, non vero quoad nos: ad hoc enim, ut iam dixi, non fat est, ut propositio obiectiua careat medio à priore, quod probat argumentum, sed præterea requiritur, ut ei termini possint à nobis apprehendi sub proprijs rationibus, quibus immediate coniunguntur,

Chrysostom.

S. Thomas.
Aureol.
Scotus.

Ad Rom. 2.

S. Thomas.

XIII.

quomodo non apprehenduntur à viatori-
bus termini prædictæ propositionis; Pro
secundi explicatione recolendum est, quod
capite superiore ostendi, licet non om-
nem propositionem, in qua prædicatum
est de ratione subiecti, esse per se notā quo-
ad nos, quamvis sit per se nota secundum
se: ex quo patet argumentum solum cōclu-
dere hanc propositionem, *Deus est*, esse per
se notam secundum se, non verò quoad nos.
Ad tertium concedenda est maior propo-
sitiō quoad priorem partem: neganda ve-
rò assumptio quoad eandem, quandoqui-
dem non desunt insipientes, qui cogitent
& affirmant non esse Deū, ut insipiens ille
de quo loquitur David: nec interpretatio
Diui Anselmi conuenit textui: nam verba
illa, *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*:
satis indicat eum affirmasse mentaliter id,
quod voces significant, si enim absque vlla
notitia significationis terminorum solam
propositionem vocalem in phantasia, vel
animo expressit, sanè non magis de eo af-
firmari potest dixisse in corde, quam de
puero, vel etiam pſyttaco cogitatioe vol-
uentibus easdem voces: hos autem in cor-
de dicere nemo affirmat: quare de iudi-
cio mentali intelligi debet Propheta. Et
ita de negatione Deitatis interpretatur
Chrysost. homil. 5. de incomprehensibili
Dei natura, & in Psal. 13. August. serm. 10.
de verb. Domini, Damascen. li. 1. fidei cap.
3. & reliqui Patres communiter. Ad alte-
ram eiusdem maioris partem respondend-
um est negatiue, si sermo sit de propo-
sitione per se nota quoad nos: nam negatio
cuiusque prædicati essentialis inuoluit re-
pugnantiam cum significatione subiecti: &
nihilominus non quæuis propositio enun-
cians aliquid essentialē, est per se nota quo-
ad nos. Ad vltimam confirmationem re-
spondeo, tum demum ex nominis notione
aliquid concludi de subiecto, cum constet
an sit: nam posito quod sit in rerum natu-
ra aliquid significatum per nomē, rectē ex
significatione nominis concludi possunt a-
liqua de secundo adiacēte: ipsum verò esse
nequaquam cōcluditur ex notione descri-
ptiua nominis: sed adhuc ea posita potest
esse cōtrouersia, an subiectū sit, ut respon-
dendo ad hoc argumentum Anselmi, quo
etiam vtuntur Altiſiodor. Alenſ. Bonau. &
Aegid. vbi suprà, rectē obseruant S. Tho.
1. p. q. 2. ar. 1. ad 2. cum Caiet. & Syluestro
ibid. & lib. 1. contra Gent. c. 11. cum Ferrar.
in 1. d. 3. q. 1. ar. 2. ad 4. Heruæus vbi su-
pra, Durand. q. 3. n. 14. & 15. Bassol. q. 2. ar.
3. ad 2. Gerson. 3. p. tract. 7. super Magnifi-
cat Alphab. 86. lit. O. & Aureol. in 1. dist. 2.

Chrysost.
Augustin.
Damascen.

S. Thom.
Caietan.
Syluester.
Ferrariens.
Heruæus.
Durand.
Bassolis.
Gerson.
Aureolus.

q. 2. ar. 6. propositione 2. & ad 1. argumen-
ex primo obiectis. Exempli causa, centau-
rus significat animal compositum ex dif-
ferētis animalium specificè diuersis, ita vt sit
animal partim homo, partim taur: ex qua
notione si subiectum ponatur esse, non in-
eptē concludi potest ipsum esse viuū, ac
sensitiuum, si tamen nihil supponatur, in-
certum est adhuc vtrum eiusmodi animal
sit passibile, idq; per rationē ac discursum
colligi debet. Ita, qui concedunt dari Deū,
ex eo, quod sit id, quo maius cogitari ne-
quit, ostendere possunt ipsum esse viuū,
sapientem, omnipotentem, & similia. Ve-
rū qui hoc non supponunt, sed adhuc que-
runt vtrum Deus sit, conuenire primū de-
bent in significatione & cōceptu eius, quod
querunt: aliter circa illud discurre, affir-
mare, aut negare nihil omnino possunt.
Nec tamen proinde viatori euident est, ex
terminis Deum esse: non enim euidenter
ipsi apparet immediata coniunctio ipsius
esse cum eo, quo maius cogitari non po-
test: nam viator antequam habeat demon-
strationem ex creaturis, vel aliud certum
principium credendi Deum esse, ambigere
de hoc ipso potest, vtrū scilicet sit ens ali-
quod, quo maius cogitari nequeat: & hoc
ipsum negauit insipiens, ceterique Athei,
nempe quia eius, quo maius cogitari ne-
quit cum ente, coniunctio non est per se
nota nobis. Ad vltimum Mayronius q. cit. *Mayron.*
ad finem negat antecedens, neq; vllam ra-
tionem assignat. Alij quorū meminit Mo-
lina 1. p. q. 2. art. 1. respondent cum distin-
ctione: dicunt enim propositionem hanc,
Deus est colendus, esse per se notā ei, qui spe-
culatiue scit esse Deum, non verò ei, qui
ignorat. Illud certum est propositionem
hanc esse per se notam secundum se: nam
cognita distinctē ratione deitatis & cultus,
eo ipso mens iudicat deberi cultum Deo,
qua ratione beatis hoc est per se notū. De-
inde verò etiam potest esse per se notū no-
bis, siquidem ad veritatē propositiōis pra-
cticæ non requiritur veritas speculatiua de
existentia subiecti: sed fat est, vt connexio
prædicati cum subiecto, sit vera, immédia-
ta, & euident: nam qui dicit parentes sunt
colendi, debita sunt reddenda, nō supponit
esse debita, vel parentes: sed solum si sint,
asserit debita reddenda, parentes colēdos.
Ratio huius est: quia assertio practica non
dicit, qd est, vel erit in re: sed qd ratio dicat,
vt sit. Ea verò videns in subiecto cōgruen-
tiam, aut dignitatē obiectiuā respectu ali-
cuius actionis, nō curat vtrū subiectum sit
necne: sed abstrahēdo ab eius existentia for-
mat iudiciū practicum de actione, cuius dig-
nita-

nitatē in ipso cernit. Vnde constat non esse verum quod dicit Argentin. ar. 3. ad secundum argumentum ex propositis secundo loco, nempe huiusmodi propositiones, cum habeant pro prædicato participium de futuro, non exigere quod subiectum existat, nisi in futuro tempore. Ratio verò est, quia huiusmodi propositiones non enunciant futuram existentiam, sed congruentiā prædicati cum subiecto, & idē verē sunt, quāvis subiectum nequaquam sit futurum, ut dictum est. Et hoc modo se res habet in illa propositione, *Deus est colendus*, quæ nō enūciat existentiam Dei, aut cultus illi habendi, sed solam congruentiam, ac debitū cultus cum ratione Deitatis: quæ congruentia per se euidenter apparet ex terminis ipsis abstrahendo ab existentia, vel eius negatione. Nam, si sit id, quo maius cogitari nequit, & quod est prima causa, & principium creature rationalis: quod nos nomine *Dei*, significare intendimus, absque alio medio termino sit euidenter cultum ipsi, adorationemque debere.

Hæc propositio, *Deus est*, non est demonstrabilis à priori.

CAPVT IV.

I. **Q**uia non repugnat enunciationem esse per se notam secundum se, quin sit per se nota nobis, & talem esse hanc propositionem *Deus est*, ostendi capite superiore, nunc videndū sitnē demonstrabilis à priori, saltem quoad nos. Non desunt recentiores, qui affirmant esse demonstrabilem à priori etiam respectu viatorum, si non per se primo, saltem posita cognitione Dei, acquirita per discursum; quoniam, inquit, postquam ex creaturis cōuincitur Deum esse ens necessarium, & à se, & vnum, necessariō concluditur à priori hunc esse Deum; si verò obijcias ex eo sequi ex quidditate Dei cognita, demonstrari Deum esse, siquidem quidditas Dei est, ut sit ens necessarium, & à se: qui modus demonstrationis repugnat, quoniam prior est quæstio an est, quam quid est, respōdet formaliter, ac propriē loquendo non demonstrari esse Dei per ipsam quidditatem ut sic: sed ex quodam attributo (quod re ipsa est essentia Dei, à nobis autem concipitur abstractius ut modus entis nō causati) colligi aliud attributum, & ita concludi illud ens esse Deum, ad quod supponitur probatū dari ens quoddam per se necessarium, itaq; de hoc ente primum probatur esse, deinde esse ab intrinseco necessarium, hinc esse vnicum in

tali ratione, ac modo essendi, & consequenter esse Deum. Alio modo eandem conclusionem tuetur Scotus in 1. dist. 2. qu. 2. §. *Ex his ad questionem*, cum Scotistis interpretibus ibidem, Ockamus in 1. dist. 3. quæst. 4. lit. F. Gabriel. q. 4. conclusionē 3. Rubio-
nius dist. 2. q. 1. art. 2. conclusionē 4. Nam, quamuis existiment de lege ordinaria non haberi à nobis demonstrationem propter quid huius propositionis, *Deus est*, censent tamen fieri posse ut demonstreretur, si Deus infunderet alicui notitiam euidentem eorundem terminorum, vel saltem termini Dei, quæ posset inseruire loco diffinitionis: nam, quemadmodum, quamuis secundum rem idē omnino sit diffinitū, ac diffinitio, potest tamen constari demonstratio, in qua per diffinitionem, tanquam per medium terminum, ostendatur passio de diffinito: ita quoque cognitio clara Dei menti nostræ diuinitus infusa subire potest rationem mediij termini ad demonstrandam existentiam de Deo.

Ne verò laboremus in æquiūoco, præmitto duas distinctiones, alteram circa demonstrationem propter quid, alteram circa terminum, *Deus*: Nam demonstratio propter quid aut est materialis, aut formalis: materialem voco eam, quæ re ipsa continet causam, siue rationem conclusionis à priori, quomodo demonstratio, qua tertia passio demonstraretur de subiecto per secundam non resolutam ad primam, & ad diffinitionē subiecti, contineret causam à priori, cur passio conueniret subiecto, non tamen esset demonstratio propter quid formalis, quia non constaret primis, & immediatis, quamdiu non resolveretur ad naturam subiecti: imò verò, et si per ipsam primam causam non ex terminis, sed demonstratione à posteriore cognitā demonstraretur prima passio, adhuc non erit demonstratio propter quid formalis, sed materialis: quia medium est quidē causa passionis, verum non cognoscitur, ut causa prima, & immediata illius: formalis demonstratio propter quid est, quādo non solū cōstat suapte natura primis, & immediatis, priorib; causisq; conclusionis, sed etiam præmissa euidenter ex terminis, vel resolutæ ad primas causas agnoscuntur. Ad verā enim demonstrationem propter quid formale duo requiruntur ex parte principiorum, quæ Aristotel. 1. Poster. cap. 2. expressit: alterum in ordine ad cōclusionem, alterum in ordine ad alia principia: in ordine ad cōclusionem requiritur in medio ratio prioritatis, & causæ, & ut sit notior conclusionē, quod indicatur verbis illis; *prioribus notioribus, causisq;*

Scot.
Ockam.
Gabriel
Rubion.

II.

Aristot.